



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum omnis causa sit prior suo effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

operantur, sed tanquam in fine, cui perfectionem illam procurant. Atque ita finis quem ultimatè intendunt, absolute est perfectior omni eo quod ad finem ordinant; nam de Deo constat: de ipsismet autem agentibus, quatenus ad se aliquid ordinant, & ad illud comparantur ut ultimus finis in aliqua serie, etiam necesse est ut sub ea ratione sint perfectiora, nã hæc agentia, perfectiora sunt suis operationibus. Quod si ipsa dicuntur esse propter suas operationes, non ita in eis consistunt, quin ad se illas ordinēt, ita ut completè intendant se ipsa in statu perfecto; qui potest dici intrinsecus finis ultimus talis actionis, non tamen simpliciter ultimus, cum tota illa actio vel referatur, vel ex se tēdat in vltiorem finem vltimum extrinsecum, qui est Deus.

Aliquando vero possunt hæc agentia ordinare res alias perfectiores se, etiam Deum ipsum ad se ipsa ut ad vltimum finem simpliciter; tamen ille est peruersus ordo, & à recta ratione, & ab eo quod naturæ rerum postulant, alienus: & ideo dixit in conclusione, si ordo in finem sit rectus ex ipsa naturæ institutione. Atque hoc modo intelligendum est, quod Aristoteles dixit, finem esse optimum vniuersumque rei: loquitur enim de fine vltimo respectiue, ut sic dicam, id est vel simpliciter, vel secundum quid, in ordine ad id cuius est finis vltimus. Et ratio est, quia finis vltimus propter se appetitur, & alia propter ipsum; & ideo etiam magis amatur quam cætera, iuxta illud, Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis; & ideo si recte & cōsuetanè ad rerum naturas ametur, oportet ut ipsum magis amabile sit, & consequenter maius & excellentius bonum.

Secus vero est de fine non vltimo: recte enim potest, & cōuenientissimo ordine res perfectior ad minus perfectam ut ad finem proximum ordinari, dummodo ad alium finem vltimum & perfectiorem tota series referatur, quia nunc non tam attenditur finis proximus ut per se amabilis est ex propria bonitate & perfectione, quam ut est amabilis ex relatione ad perfectiorem finem.

SECTIO II.

Utrum omnis causa sit prior suo effectu.

Ratio dubitandi est, quia Aristoteles 5. Metaphys. capite secundo, sine vlla distinctione asseruit causā in actu simul esse cum effectu in actu: ergo non est prior illo. Quod si dicas causam in potentia esse prius effectu in actu; hoc sane nihil est, tū, quia id non prouenit ex ratione causæ, sed ex ratione potentia & actus illi correspondentis: sic enim ens in potentia dici etiam potest prius ente in actu. Tum etiam, quia non recte fit comparatio: aliàs etiam dici posset, effectum in potentia esse priorem causā in actu: debet ergo proportionatè fieri: & hoc modo fitur causā in actu non est prior suo effectu in actu, sed simul; ita nec causā in potentia est prior quam effectus in potentia. Quod si vltius dicas, Aristotelem solū fuisse locutum de similitudine temporis seu durationis: contra hoc est primò, quia ipse nihil distinxit. Secundò quia in c. 11. eiusdem li. 3. Metaph. enumerans varios modos prioris & posterioris secundum naturam, non meminit eius, qui est inter causam & effectum. Tertiò quia causa & effectus dicuntur relatiue: relatiua autem non solum sunt simul tempore, sed etiam simul natura. Contra est quia omnis causa est principium: omne autem principium, præsertim in rebus creatis, est aliquo modo prius eo cuius est principium, ut supra visum est. Vnde etiam Aristot. in Postpræd. c. de modis prioris dixit, omnem causam esse priorem naturā suo effectu.

Hæc questio, prout tactum est, de duplici prioritate intelligi potest, scilicet temporis & naturæ: & Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

quia de illis diuersa est ratio, sigillatim est de eis dicendum discurrendo breuiter per singulas causas, quoniam non potest vna generalis responsio de omnibus tradi. Considerandum est autem, aliud esse inquirere quid per se conueniat causæ, sc. an per se & necessario sit simul vel prior effectu, quid verò possit ei conuenire, etsi necessarium non sit. Deniq; loqui possumus de re quæ est causa, vel ut esse potest, aut quatenus est actu causa.

Expeditur questio quoad causam finalem.

Incipiendo igitur à causa finali, constat ex superioribus non semper requirere realem existentiam ad causandum: aliquando verò posse illam habere, quādo, scilicet, finis non mouet ut fiat, sed ut acquiratur, vel accidentaliter perficiatur. Hinc ergo fit, aliquem finem: quantum ad rem ipsam quæ est finis, posse esse priorem in reali existentia suo effectu: id tamen non esse necessarium: imo neq; etiā ut finis actu causans simul tempore existat cum primo effectu suo: sed solum cum vltimo: quia id, quod est primum in intentione, est vltimum in executione. Quod si obicias, Aristotelem generaliter proferentem, causam in actu esse simul cum effectu in actu. Respondendum est illud esse cum proportionem intelligendum de causa in actu secundum illud esse, quod est illi necessarium ad causandum, & quia in causa finali sufficit esse necessario esse simul finis actu causans cum suo effectu, quia non potest actu mouere agens, nisi sit apprehensum.

De prioritate autem naturæ nihil peculiare habet causa finalis, præter id quod commune est omni causæ, scilicet, quod quatenus ab ea pendet effectus: & ipsa non pendet ab effectu, sit prior natura illo: de qua prioritate naturæ quid sit & quomodo sit intelligenda, inferius dicemus latius. Et hæc sola prioritas naturæ per se cōuenit causæ finali. Alii vero modi prioritatis naturæ, qui sunt vel prioritas perfectionis, vel in subsistendi consequentia, per se non requiruntur in causa finali: quomodo autem illi conuenire possint, satis patet ex dictis, tum in sect. præced. de perfectione finis, tum in hac etiam assertione de eius reali existentia.

Resoluitur questio, quoad materialem causam.

Secundo loco facile etiam potest hæc res expediri in causa materiali: nam quoad prioritatē existentia per se conuenit huic causæ, ut non sit tempore posterior illo effectu quem causat. Et quoad hoc verum habet in illa pronunciatum illud, Causa in actu simul est cum effectu in actu. Et ratio est, quia non potest actu causare, nisi actu realiter existat, ut supra probatum est, & ideo fieri non potest ut sit tempore posterior suo effectu. Non est autem de ratione huius causæ, ut res ipsa quæ causat ita sit simul tempore cū suo effectu, ut non prius etiā extiterit: potest. n. prius tempore extitisse, quā talis effectus, non quidē actu causando illum, sed quoad ipsam entitatem absolutam talis causæ. Et hoc sensu verum habere potest in hac causa aliud pronunciatum Aristot. Causa in potentia non est necessario simul cum effectu, sed potest esse prior: comparatio enim fit inter ipsas res causæ & effectus in ordine ad actualem existentiam: non enim appellatur causa, quæ esse potest, seu quæ causare potest. Et hoc modo de illa dicitur, non semper esse simul in reali existentia cum effectu: sed posse esse priorem, quod manifestum est in hac causa; nã materia ligni, ex qua potest ignis generari, est causa in potētia ignis nondum geniti, & est prior tempore illo.

Addendum vero est, peculiare esse huic causæ, ut licet possit esse prior tempore, quocunque effectu suo signato, non tamen possit esse prior tempore o-

III.

Causa finalis non necessario primo existit quoad effectum.

IV.

Prioritatem tamen naturæ habet ad effectum ut ab ipsa pendens.

V.

VI.

Materia nã, quæ omnes suos effectus duratiue miscet.

Ccc

mni

nni effectu suo, collectiue id intelligendo: quod maxime verum est in causa materiali substantie: tamen seruata proportionem inuenietur etiam verum in materiali causa accidentium. Et ratio est, quia hæc causa talis est natura, ut in nullo momento possit actu existere; quin in actu etiam causet, quia nec materia potest esse naturaliter sine forma, nec substantia capax accidentium potest absque omni accidenti: atque ita semper datur aliquis effectus huius causa: æqualis illi in duratione: ergo respectu talis effectus non est prior tempore. Quod tamen id sit respectu huius determinati effectus accidentarium est, potuisset enim talis materia sub alia priori forma fieri, atque ita tempore præcedere. Omitto materiam celi, cui con-naturale est, semper esse sub tali determinata forma, id enim prouenit ex peculiari ratione & con-nexione: nunc autem ex generali ratione loquimur.

VII.
Quo modo
materia pri-
or natura
suo effectu

Atque hinc facile intelligitur, quare ratio mate-ria prima sit prior natura suo effectu. Duobus enim modis potest dici prior natura, vel ex intrinseca ratione cauendi, ratione cuius ab ea pender effectus, ipsa verò ab effectu pendet. Quod est intellectu faci-lius, si materia non pender à forma, ut à priori, & ut à propria causa, ut superius tactum est, & iterum at-tingendum erit disputatione sequenti. Secundo dici potest prior natura ob subsistendi consequentiam: quod exponendum est iuxta nuper dicta de prioritate in existendo. At verò, si prius natura sumatur ratione perfectionis, sic hæc causa non est simpliciter prior natura, sed prius posterior, quia est minus perfecta quam effectus eius. Atque hæc est communis sententia, quæ est clarissima, si comparatio fiat respectu totius compositi, quod est etiam effectus cause materialis. Si vero comparatio fiat respectu forme eam ita interpretor, ut in substantiis intelligatur materia simpliciter posterior perfectione: secundum quid autem excellens, scilicet, in ratione subsistendi, seu modo per se essendi: in hoc enim excedit materia formam materiale, quæ est effectus eius, quia illam sustentat. Vnde talis forma quodammodo in-hæret ipsi materie: materia vero, eo quod sit primum subiectum, nulli inherere potest, sed per se esse debet, & in hoc dicimus excedere hanc causam hunc effectum suum, quod magis constabit ex dicendis infra de substantia creata. At vero in accidentibus è cõ-uerso accidit: nam causa materialis est simpliciter perfectior effectu, qui est forma accidentalis, cum causa ipsa sit substantia: tamen secundum quid, est minus perfecta, quatenus comparatur ut potentia passiva ad actum suum.

Quid de forma dicendum sit in præ-senti
questione.

VIII.
Forma sem-
per est tem-
poris simul
cum suo ef-
fectu.

Tertio dicendum est de forma, per se & ex natu-ura sua nunquam esse prius tempore suo effectu, neque etiam posterius, sed simul. Vnde in hac causa non habet locum, quod prior sit causa in potentia, quam effectus, quia hæc causa non prius tempore est actu ens, & potentia causa, quam sit etiam actu causa, quia non prius tempore existit, aut habet potentiam realem cauendi, quam actu causet, ut recte docuit Aristoteles duodecimo Metaphysicæ capite 3. Et ratio est manifesta, maxime in his causis formalibus, quæ in suo esse pender à materia, ut sunt omnes præ-ter animam rationalem: nam huiusmodi forme non possunt naturaliter existere, extra sua subiecta: ergo neque extra sua composita: ergo neque possunt existere sine suo effectu. In anima vero rationali, quæ uis non sit hæc necessitas dependentiæ, est tamen connaturalis proprietatis talis rei, nam cum esse eius sit ad componendum compositum, natura sua postulat, ut non fiat, nisi quando actu est compositum ex illa componendum, & ita nunquam naturaliter

est prior duratione suo effectu, quamuis possit postea durare cessante effectu: in quo habet genus quoddam prioritatis quoad subsistendi consequentiam, ut iam dicam.

De prioritate autem naturæ si sumatur quoad perfectionem, iam supra facta est comparatio inter formam & compositum, & diximus formam esse minus perfectam simpliciter, in quo sensu potest dici posterior natura suo effectu: respectu vero materiz erit prior natura, si tamen materia dicenda est effectus forme. Si vero prioritas naturæ sumatur in subsistendi consequentia, sic non oportet formam esse priorem aut posteriorem natura suo effectu, sed sunt simul, quia nec compositum esse potest sine forma, nec forma saltem naturaliter sine composito. Solum rationalem animam excipio, quæ licet aliqua ratione sit simul, quatenus esse non potest, quin aliquando etiam sit homo, tamen simpliciter non conuertitur, quia aliquando potest existere anima, etiam si homo non sit: & secundum eam rationem potest dici prior quoad subsistendi consequentiam.

De prioritate autem naturæ, quæ per se sequitur rationem cause, difficile est ad explicandum quomodo huic cause conueniat ex propria ratione sua omnia peculiari conditione animæ rationalis. Et ratio difficultatis est, quia videtur impossibile quod forma sit prius natura, quam informet: ergo non potest esse prior natura, quam effectus eius. Antecedens patet, quia non est prius natura in se, quam in subiecto: hoc enim est proprium forme subsistentis: ergo non est prius natura, quam informet, & consequenter nec est prior natura, quam compositum, quia simul ac forma informat materiam, con-surgit compositum. Respondent aliqui, formam prius natura informare: non tamen prius natura esse quam compositum: nam esse prius conuenit composito, & per illud formæ, qui à fortiori idem dicunt de materia. Veruntamen hæc responsio nec difficultatem euacuat, nec veram doctrinam continet. Primum enim Aristoteles non tantum dixit causam prius natura causare, sed etiam prius natura esse, quam eius effectum. Deinde, si forma prius natura informat in hoc ipso includitur, ut prius natura sit, tum quia esse est prædicatum transcendens inclusum in quolibet prædicato reali: informare autem, prædicatum reale est: tum etiam quia informare nihil aliud est quam actuando dare proprium esse: ergo informare intrinsece includit esse. Denique, si forma prius natura informat, quam compositum sit, ideo est quia esse compositi confurgit ex informatione forme: sed etiam entitas compositi confurgit ex entitate forme: ergo prius natura est entitas forme quæ entitas compositi: ergo forma sicut prius natura informat, ita prius natura est.

Aliter responderi potest, tria hic interuenire, scilicet formam esse, formam informare, & compositum esse, seu (quod idem est) formatum, seu constitutum esse, quæ tria non solum ratione, sed etiam ex natura rei aliquo modo distinguuntur, ut extrahatis in superioribus constare potest. Formam ergo esse, & informare, prius natura est, quam compositum, quia comparantur quodammodo ut via & terminus, & ut fieri & factum esse. Atque ita etiam in hoc genere cause verum habet generale pronuntiatum Aristotelis: *Causa est prior natura suo effectu*. Quod non solum de re, quæ est causa in potentia, seu in actu primo, sed etiam de causa in actu secundo causante verum est: quia ut sic exercet actionem causæ, & ab ea pender effectus, sicut etiam in causa agente explicabimus. Forma autem est actu causans, quatenus actu informat: ergo ut sic est prior natura composito, quod est effectus eius. Neque contra hoc procedit difficultas tacta, quia potius ex eo, quod compositum resultat ex informatione forme, sequitur informationem ipsam

ipsam, & formam ut informantem esse priorem naturae composito. At verò comparando alia duo inter se, scilicet, esse & informare, concedi potest neutrum esse prius naturae altero in iis formis, quae sunt dependentia à subiecto: hoc enim videtur intendere, & satis probare difficultas tacta, quo concessio illi satis fit. Neque obstat illud principium, quod causa est prior naturae: non enim dixit Aristoteles omnem causam prius naturae esse, quam causet, sed dixit causam esse priorem naturae suo effectu: potest autem hoc posterius esse verum, etiam si prius non sit: nam ipsummet causare est prius naturae effectu ut dixi. Non videtur autem necessarium, ut causare sit posterius naturae, quam esse causae: ubi ipsum causare non est propriè effectus ipsius esse causae, sed est ipsummet esse communicatum seu unitum subiecto: quae unitio est effectus agentis, sicut ipsum esse formae, simulque sit cum existentia formae.

Hæc respositio quoad priorem partem de prioritate naturae respectu compositi, vera est, & optimè satisfaciit. Quoad alteram verò partem, licet probabilis sit: mihi tamen non omnino probatur, quia non videtur posse negari, quin ipsamet causalitas formae sit ab illa aliquo modo, sicut causalitas agentis est ab agente: unde sicut agens non tantum est prius naturae suo effectu, sed etiam sua actione, diuerso tamen modo; nam quatenus actu agens, est prius naturae effectu, non verò actione, quia per illam formaliter constituitur actu agens, tamen quatenus actu ens, est ut minimum prius naturae sua actione: ita videtur forma prius naturae esse, quam eius actualis causalitas, cum hæc etiam ab illa causetur: ergo prius naturae est, quam informet. Unde hæc causalitas est vera, quia forma est, ideo informat seu causat compositum: & hoc ipsum in superioribus dictum à nobis est. Cōcedamus ergo formam prius naturae esse, quam informat.

Ad difficultatem autem superius positam dicendum est, quod forma quæ naturae suae pendet à materia, prius naturae sit, quam informet, non tamen prius naturae esse in se aut per se quam in materia, sed præcisiuè tantum (ut sic dicam) prius naturae esse, quam tali modo fit, scilicet, informando materiam. Quod si inquiratur in illo priori naturae qualiter sit, in se, vel in alio, responderetur in primis non rectè interrogari de illo priori naturae, ac si esset aliquod instans, in quo forma sit, & non informet: hæc enim prioritas causalitatis non est explicanda per prius in quo, sed à quo. Non enim alia ratione dicitur forma prius naturae esse, quam informare, nisi quia informare aliquo modo manat ex esse: quamquam in re, in nullo signo etiam rationis intelligatur forma simpliciter esse prius quam materia informet. Si autem intellecta prioritate, ad interrogationem factam dicendum est in illo priori formam non esse in se nec in alio, sed tantum esse per tale esse, quod intrinsecè postulat esse in alio, quam rem explicabimus latius disputatione sequente, tractando quomodo causae sint sibi inuicem causae.

Tractatur questio in causa efficiente.

IV. Quæto loco dicendum est, causam efficientem ex se posse esse priorem tempore suo effectu quantum ad suam entitatem absolutam, seu vim agendi, quam vocauit Aristoteles causam in potentia seu in actu primo, non tamen semper esse id necessarium: potest enim effectus huius causae interdum esse æqualis illi in duratione, quod si talis causa sumatur in actu secundo, necessario simul tempore est cum suo effectu, quamuis sit simpliciter & propriissimè prior naturae. Probatur prima pars, primo inductione, nam Deus qui est prima causa efficiens rerum, per æternitatem prius extitit, quam quicquam effectus, & in cælis, & aliis causis secundis res est manifestæ.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

facta. Ratio verò est, quia hæc causa, per se loquendo non indiget suo effectu ut sit, neque aliunde habet necessariam connexionem cum actione sua. Unde si interdum est aliqua causa efficiens, quæ non antecedat tempore suum effectum, id non est ex præcisa ratione talis causae, sed ex aliqua peculiari conditione.

Potest autem id tribus modis accidere (quo probabamus secundam partem conclusionis) primo, si efficientia sit minus propria per solam resultantiam naturalem: quomodo essentia non procedit tempore passionem ex ea manantes. Secundo si causa sit naturaliter agens, & à primo instanti sui esse habeat omnia requisita ad agendum absque vlllo impedimento: quomodo lumen productum à Sole potest esse illi coæuum: tertio si causa sit libera, & simul ac est, velit agere: quomodo angeli in primo instanti quo creati sunt, aliquid facere potuerunt: & Deus ab æterno potuisset aliquid creare si voluisset. In his autem omnibus modis supponendum est, effectum debere esse talem ut per indiuisibilem actionem fieri possit: nam si efficiendus sit successiuus, non poterit omnino simul esse cum sua causa, nisi aliqui supponatur etiam causa ipsa incipere & esse successiuus, seu ad modum successiuarum. Alioqui successiuus effectus necessario incipit post aliquod instans, in quo iam supponitur causa existens, vel ex se ut Deus, vel per creationem aut generationem, saltem ex natura rei, & seclusis miraculis. Qua ratione motus cæli non potuit simul tempore esse cum suo motore, sed hic præcedere debuit saltem per instans. Dico autem seclusis miraculis, quia, si verum est potuisse Deum creare angelum per vltimum non esse, etiam verum erit, talem angelum potuisse simul esse & mouere cælum: sed de hoc aliàs.

Tertia pars conclusionis, præter autoritatem Aristotelis est per se euidentis, quia causa est in actu per actionem, actio vero non est sine termino: terminus verò actionis est effectus causae agentis: ergo de primo ad vltimum causa agens in actu, non est sine suo effectu in actu. In hoc autem duo includuntur, vnum est non posse effectum actu manare à causa, quin causa ipsa simul existat, quod supra probatum est contra aliquos qui dixerunt posse effectum actu manare à re iam non existente, neque in se, neque in aliqua virtute sua: quod est plane impossibile, & contra hoc Aristotelis dogma, quod causa in actu & effectus in actu, debent esse simul. Dicitur autem effectus in actu, non ille qui actu est ens per actuale suam existentiam, sed ille qui actu est effectus, id est qui actu manat à causa: potest enim illa res actu esse, & non actu emanare, sed emanauisse, & tunc constat posse esse sine sua causa, quæ tunc sit, licet supponat eam fuisse, & causasse. Secundo includitur in illo pronuntiato, causam non posse prius tempore esse actu causam, quam effectus actu sit, quia est actu causa, quatenus actu influit: non potest autem actu influere, nisi iam sit aliquid, in quod influat. Sed obseruandum est, ita effectum esse simul cum causa in actu, sicut ab illa manat: nam si manat totus simul per actionem momentaneam, erit simpliciter, & secundum totum suum esse, simul tempore cum sua causa in actu, quia in huiusmodi effectu (ut aiunt) simul est fieri, & factum esse, & consequenter simul etiam est causam agere, & effectum esse. At verò si effectus fiat successiuus, causa etiam erit in actu successiuus: & tunc effectus solum in fieri, vel secundum aliquid sui erit simul cum causa in actu.

Solum potest quis obicere, Deum ex æternitate fuisse causam in actu non solum primo, sed etiam, secundo modo, & tamen nullum fuisse effectum ex æternitate. Hæc verò obiectio solum habet locum in eorum sententia, qui ponunt totam actionem, qua Deus ad extra agit, esse in Deo immanentem & æternam. Iuxta quam respondendum erit, id esse

Ccc 2 pecu-

XV.

XVI.

XVII.

peculiare in actione diuine voluntatis, quæ potens est non solum ad influendum esse in effectum, sed etiam ad influendum pro eo tempore, quo ipsa præscribit, & non antea, quamuis antea ipsa sit. Qui vero ita sentiunt, melius loquentur, si dicant illum actum in manentem seu volitionem Dei non constituere illum actum agentem ad extra, nisi prout actum influit: & vt sic connotare coexistentiam effectus. Nobis vero faciliore est responsio: negamus enim Deum esse causam actum agentem ad extra per actum solum in ipso manentem, sed per actionem extra transeuntem, qui non est prior tempore quam effectus.

XVIII.

Vltima denique pars de prioritate naturæ constat primò ex generali sententia Aristotelis, quod causa est prior naturæ suo effectui, quæ prioritas nihil aliud est quam dependentia effectus à causa, & independentia causæ ab effectui: hæc autem dependentia ex parte effectus, & independentia ex parte causæ, maximè cernitur in causa efficiente, vt disputatione sequenti latius declarabimus. Et ideo dixi efficientem causam non solum esse priorem naturæ, sed etiam maximè propriè hoc ei conuenire, quia & causa efficiens maximè requirit existentiam ad causandum, & secundum eam est omnino independens à suo effectui. Est autem circa hanc prioritatem naturæ considerandum, posse esse sermonem de causa efficiente, aut vt actum efficiens est, vel secundum se, seu prout est in actu primo proxime disposita ad agendum. Rursus comparari potest vel ad proprium effectum, vel ad actionem seu causalitatem suam. Igitur comparatione effectus simpliciter est prior naturæ causa in actu etiam vt actum agens, quia actio ipsa est prior naturæ suo termino. At vero comparatione ipsius actionis non potest esse prior naturæ causa in actu secundo, vt bene notauit Soncin. 5. Metaphys. quæst. 7. quia ipsa actione constituitur formaliter agens in actu secundo: ergo non potest esse prior naturæ eadem actione. Respectu igitur actionis solum dici potest causa prior naturæ, quatenus consideratur in actu primo.

XIX.

Dices: Hoc modo non solum est prior naturæ, sed etiam tempore. Respondetur, si loquamur de causa in actu primo sufficiente, & non impedito, & cum omnibus requisitis ad agendum, non ita esse, nisi forte in potentia libera, in qua id est speciale. Deinde dicitur, etiam si prioritas temporis antecesserit, posse etiam prioritatem naturæ interuenire pro illo met instanti, in quo iam sunt simul duracione actio & causa agens: & ita etiam causa libera non solum eo tempore quo non operatur, est prior sua actione, sed etiam pro illo instanti quo operatur, est etiam prior saltem naturæ: & ideo potest pro illo met libera esse, vt supra diximus: Et ratio est, quia ipsa actio manat ab actu primo, non tamen manat media actione, sed se ipsa; & ideo est posterior naturæ quam causa in actu primo, non tamen quam causa in actu secundo.

Satisfi argumentis in principio positis

XX.
Explicita ut
Aristoteli.
cum axio-
ma.

EX dictis soluta est ratio dubitandi in principio posita, & explicata propositio Aristotelis, Causa in actu, & effectus in actu simul sunt. Loquitur enim aperte de causa actu causante, & de effectui in actu in ratione effectus, vt explicuimus. & de similitudine temporis, non naturæ, vt ex contextu aperte constat. Vnde nil refert, quod expressis verbis ibi non distinguat, tum quia res ipsa est satis perspicua, tum etiam quia in ipso contextu, vt dixi, satis declaratur: maximè cum ipse Philosophus in Postprædicam. dicat ea simpliciter dici simul esse quæ simul tempore sunt. Et eodem modo accipiendum est, quod ibidem ait Aristoteles, causam in potentia non esse simul, scilicet tempore, cum suo effectui: vocat enim, vt dixi, cau-

sam in potentia, non ipsam rem, quæ est causa, vt in potentia existentem, sed rem actu existentem, & in potentia ad causandum: & de hac negat esse simul tempore cum effectui, non quia esse non possit, sed quia id necessarium non est.

Ad alia argumenta contra prioritatem naturæ respondetur. Ad primum dicitur in primis satis esse, quod Aristoteles in prædicamentis hunc modum prioritatis naturæ posuerit, nam in quintum Metaphysicæ, non videtur omnes modos Prioris alibi politos repetiuisse. Vel dici potest, hanc prioritatem naturæ comprehensam fuisse sub illa quæ est in subsistendi consequentia, nam causa in tantum dicitur prior naturæ suo effectui ratione causalitatis, in quantum id quod dependet, vt sic esse non potest sine eo, à quo pendet, in quo habet rationem posterioris; è contrario vero id à quo aliud pendet, vt sic est independens ab illo, & ex vi huius independentie esse potest sine illo: quod si fortasse aliunde penderet, est per accidens ob aliam causalitatem. Atque ita causalitas in tantum dicitur naturæ prioritas, in quantum virtute includit prioritatem in subsistendi consequentia, vel absolute, vel saltem quantum est ex illo capite.

Ad vltimum de relatione, sæpe iam dixi in hoc tractatu de causis nihil nos curare de relationibus prædicamentibus consequentibus causalitatem, nam siue illæ sint rei, siue rationis, sunt posteriores causalitate, & propriam habent considerationem & colloca-tionem in prædicamento Ad aliquid. Non sumuntur ergo hic causa & effectus vt de formali dicere possunt relationes prædicamentales: quo sensu verum esse simul non tantum tempore, sed etiam naturæ, si sumantur vt relatio & actum terminus: sed est sermo de causa & effectui quantum ad actum causantis & causati; & ita non sunt simul naturæ, etiam si transcendente habitudinem includant quia hæc non requirit simultatem nature inter extrema, vt in multis alijs rebus per se notum est.

SECTIO III.

Virum eiusdem effectus esse possint aut debeant
plures causæ.



Vb hoc titulo multa comprehenduntur, quæ oportet distinguere, & breuiter expedire. Potest enim esse sermo vel de causis diuersorum generum, vel de causis diuersi ordinis seu speciei in eodem genere, vel de causis eiusdem rationis & speciei in eodem genere. Rursus potest esse questio de causis totalibus in suo ordine, vel de partialibus: est autem causa totalis quæ præbet totum cōcursum necessarium ad effectum in illo ordine: partialis vero è contrario dicitur, quæ per se sola non confert sufficientem, totumque necessarium cōcursum. Præterea aliud est querere an plures causæ sint necessariae ad effectum, in quo simul inquiritur tam connexio effectus cum causis, quam connexio ipsarum causarum inter se in ordine ad causandum effectum: aliud vero est querere, an possint plures causæ ad eundem effectum causarum conuenire, etiam si necessarium non sit. Illud denique est considerandum, quando inquiritur de influxu plurium causarum in vnum & eundem effectum, non inquiri de vnitatem effectus quoad relationem effectus, id est, an talis effectus vno & eodem respectu referatur ad plures causas: hæc enim questio parui momenti est, & proprium locum habet in prædicamento relationis. Neque etiam inquiritur de vnitatem seu identitate causalitatis plurium causarum in eundem effectum: sed inquiritur de ipso esse seu absolute unitate effectus, an in illam possint vel debeant plures causæ.